



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An sit, quid sit, & vbi sit exemplar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Satisfit rationibus dubitandi initio posit.

XVII.

Argumenta priori loco posita in principio, confirmant priorem conclusionem nostram: non tamen obstant posteriori, quia non est de ratione primæ causæ, ut influat in actionem causæ secundæ, nisi cum debita proportionem: neque etiam oportet, ut causalitas causæ primæ & secundæ, formaliter ac præcisè sumptæ dicant eandem habitudinem, quam in re, prout sunt in effectu non distinguantur. Sic igitur ad subordinationem finis proximi & ultimi satis est, ut ille ab hoc pendeat in causando in suo genere, & quod hic non possit causare, nisi causante illo: non tamen necesse est, ut respectu eiusdem agentis uterque finis causet, sed solum respectu eiusdem effectus vel actionis. Quin potius finis proximus causat respectu proximi agentis, & actionis, quæ in illo, vel ab illo est: finis autem ultimus non causat respectu ipsius primi agentis, sed respectu effectus vel actionis, prout ab ipso manat. Argumenta autem posteriori loco in contrarium posita nihil obstant priori conclusioni, ut per se satis constat: confirmant autem posteriorem, ut declaratum est.

DISPUTATIO XXV.

De causa Exemplari.



Vamuis Aristoteles, multorum sententiâ, nihil omnino de causa exemplari dixerit: aliis autem ad summum eam nominasse videatur simul cum formalis: nobis tamen ad huius materiæ complementum necessaria visa est peculiaris de illa disputatio, tum quod iucunda & vtilem materiam contineat: tum etiam, quod vel probabile sit proprium & peculiarem modum causandi habere, vel necesse sit reductionem eius ad aliquod genus causæ declarare. Dicemus ergo prius quid sit exemplar, deinde eius influxum seu causalitatem explicabimus. Quod vero ad nomen attinet, suppono exemplar idem hoc loco significare, quod apud Theologos *idea*: quod nomen licet Græcum sit, à Latinis etiam usurpatur, primumque illius auctorê Platonem fuisse testes sunt Cicero lib. 1. Tuscul. q. Seneca epist. 66. & August. lib. 83. q. in 46. ubi ait ideas posse Latine dici formas vel species: imò & principales seu originales formas appellat: agit enim præcipue de ideis diuinis, quib. per antonomasiam ideæ nomen applicatum est, ut ex eodem sumere licet lib. 12. de Ciuit. c. 25. Nos autem generalius hanc vocem sumimus, & indifferenter vocibus exemplaris & ideæ utemur.

SECTIO I.

An sit, quid sit, & ubi sit exemplar.

I.



Vod exemplar aliquid in rebus sit, communis est tum Philosophorum, tum Theologorum consensus, ut patet ex Platon. in Timæo, & Socrate, qui (ut testis est Eusebius lib. 11. de præpar. cap. 11.) ante Platonem de ideis disputauit, & ex Cicero, ac Seneca locis citatis, Dionys. Iustino & Nazianzeno locis infra citandis. Et Augustinus citatis locis, præsertim dicta quæ lib. 46. ait antiquos: tantum vim in ideis posuisse, ut nisi eis intellectus sapiens nemo esse posset. Cui consonat, quod Clemens Alex. lib. 4. Stromat. sub finem ait: Merito Plato quoque, cum, qui ideas contemplantur, dixit victurum esse Deum inter homines. Addit item August. li. 1. Retract. c. 3. Mundum intelligibilem, quem posuit Plato, esse rationem sempiternam, atque immutabilem, quia fecit Deus sensibilem mundum. *Quam*

qui esse negat, sequitur ut dicat, Deum irrationalibus fecisse que fecit. Tam certum ergo existimat Augustinus, esse ideas, quæ idem sunt, quod rationes intelligibiles rerum faciendarum, ac est certum Deum non sine scientia & ratione creasse mundum. Et hoc ipsum est, quod dixit Boet. lib. de Consol. metr. 9.

Tu cuncta superno

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.

Hoc denique ipsum facile demonstrari potest ex humanis artificibus: concipiunt enim mente formam rei per artem efficiendæ, quæ exemplar appellatur. Et ita dixit Aristot. 7. Metaph. c. 7. corporis sanitatem fieri à sanitate, quæ est in mente.

Oportet autem obseruare duplex solere distinguere exemplar, aliud externum, ut est imago vel scriptura oculis obiecta, quæ imitanda proponitur, de quo intelligi potest illud Exod. 25. *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Aliud esse exemplar internum, quod animo seu mète formatur. Quam diuisionem Seneca supra indicauit, dicens: Nihil autem referri vtrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quo ibi ipse concepit & posuit. Ego vero existimo, licet forte quoad vocis vltimum exemplar externum proprie & ex prima impositione ita appellatum sit, tamen quoad munus causæ quam nunc explicamus, rationem seu causalitatem exemplaris in interno per se ac proprie reperiri: illud vero externum solum per accidens & remotè adhiberi, ut in seq. sect. latius declarabo, & ideo de interno exemplari præcipue dicendum à nobis est.

Vbi sit exemplar.

Ex his autem facile intelligere licet, in communi sequendo, ubi sit, & quid sit exemplar. Est enim in mente seu intellectu, ideo enim interdum exemplar appellatur. Plato etiam ob eandem causam exemplar mundi intelligibilem mundum appellauit, ut August. supra notauit. Ideo denique Clemens Alex. supra Motem dixit esse locum idearum, & lib. 5. Stromat. non longe à principio dixit, Platonem in Phædone ob hanc causam declarasse veritatem esse ideam. *Idea autem (ait) est Dei intelligentia, seu quod à mente diuina intelligitur.* Est itaque idea seu exemplar in mète. Solet autem in communi ita describi: *Exemplar est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis, qui determinat sui formam.* Ita D. Thom. q. 2. de verit. artic. 1. & fere Seneca supra. Quia vero hæc descriptio communis est externo exemplari, addere possumus esse formam mente conceptam, aut aliquid simile. Per formam autem intelligenda est non intrinseca forma informans, & constituens rem, sed forma concepta & extrinseca effectui, ad cuius imitationem fit effectus ex propria intentione agentis. Quæ vltima particula additur, quia si casu accideret vnâ rem fieri similem alteri, non est exemplar, neque etiam si ex sola naturali actione agens effectum, faciat similem sibi, ut iam explicabo.

Hinc vltius colligere licet exemplaria rerum ac formarum naturalium tantum esse in intellectu diuino, quod August. intendit in locis supra citatis. Nam inter causas per intellectum agentes solus Deus potest esse proprie & per se causa naturalium effectuum, præsertim substantiarum, & naturalium formarum, & ideo solus ipse potest habere exemplaria huiusmodi rerum. Nam intellectuales, vel rationales creaturæ, quamuis possint concipere intellectuales formas vere ac proprie representantes naturales effectus, quia tamen virtutem non habent effectricem horum effectuum, ideo non possunt aut illas formas applicare ad opus, aut (quod in idem redit) ab eis dirigi in effectorem rerum, quas representantes, & ideo illæ formæ intellectuales in intellectu creato non habent rationem exemplariâ. Et hoc est, quod dici solet communiter, exemplar esse formam practicam, quæ opus dirigat, seu ad opus applicetur. Quod fere Theologi

logi censent de nomine ideæ: quamuis alijs videatur sufficere, vt applicari possit, de quo alijs: nam râtum ad quæstionem de nomine spectat. Agentia vero inferiora intellectu carentia quamuis vim habeant efficiendi effectus & formas similes suis naturalib. formis: nō tamen possunt sua intentione dirigere actiones suas, vt suos effectus ad imitationem talium formarum efficiant, & in his etiam agentibus non habet locum exemplar proprie dictum, sed tantum per metaphoram, quod notauit D. Thom. dicta q. 3. de verit. art. 1. Relinquitur ergo vt respectu effectuum seu formarum naturalium exemplar in solo diuino intellectu reperitur. In intellectu autem creato secundum quandam participationem reperitur respectu rerum artificialium, sub quibus motum localem comprehendere possumus, quatenus ab agente voluntario iuxta mensuram rationis fieri potest.

Sine exemplar obiectiue tantum in mente.

V. In vero suboritur grauis quæstio, quomodo intelligatur exemplar esse in intellectu, an subiectiue seu formaliter, an obiectiue tantum. Subiectiue dicitur esse, quod inest intellectui, & informat illum, siue ipsa per veram inhererentiam, vt in creaturis, siue nostro modo intelligendi, cum tamen in re sit per entitatem, vt in Deo. Obiectiue autem dicitur esse quod cognoscitur, seu actu obijcitur menti. Quæ distinctio satis constat ex dictis suprà d. spur. 2. secl. 1. de conceptu formali & obiectiuo. Vnde quod in summa hic inquiritur, est, an exemplar sit tantum conceptus obiectiuus, an potius sit conceptus formalis. Quam quæstionem Theologi tractant de ideis: est autem communis de quolibet exemplari vt sic.

Communis sententia.

VI. Sententia satis communis, exemplar esse conceptum obiectiuum. Quæ dupliciter intelligi potest: primò, quod sit obiectiuus conceptus eiusdem rei efficiendæ per artem: seu (& in idem redit) quod sit eadem res, quæ per artem faciendæ est, vt obiectiue existens in mente artificis. Secundò, vt sit obiectiuus conceptus non eiusdem rei, sed alterius, ad cuius imitationem alia res faciendæ est. Priori modo videtur eam sententiam secutus D. Thom. quæst. 3. de verit. art. 2. Eam tenet Scotus in 1. dist. 35. quæstio. 1. Ibi dicitur Ocham, quæst. 5. Gabriel quæst. 5. art. 2. Alac. in 1. quæst. 6. art. 3. Durand. dist. 36. quæst. 3. Bassol. quæstio. 2. art. 2. Hancque opinionem vt problema tractat ibi Richard. art. 2. quæst. 2. & probabilem censet Maior in 1. dist. 35. quæstio. 1. in fine. Iuxta quam consequenter dicitur, ideas creaturarum in Deo non esse aliquid increatum in ipso, sed esse creaturas ipsas in esse cognito, seu obiectas intellectui diuino secundum esse essentia vel possibile earum: nam eas sic intuentis, tales in re producit, quales obiectiue præsentis habet. Idemque proportionaliter dicit de exemplari humani artificis.

Posteriorem modum, scilicet, ideam esse rem conceptam, non tamen eandem, quæ efficiendæ est per artem, sed aliam ad cuius imitationem altera efficitur, tenent multi Theologi, qui aliter hoc explicant in ideis diuinis, aliter in humanis. Nam de diuinis aiunt esse diuinam essentiam vt cognitam à Deo, tanquam imitabilem à creaturis. Cum enim Deus non accipiat cognitionē à rebus extra se, sed in sua essentia omnia intueatur, in illa etiam cognoscit, quomodo ab vnaquaq; creatura possit imitari vel participari, & essentiam ipsam diuinam sub hac ratione dicitur esse exemplar creaturarum. Ita sentiunt Caietan. & multi Thomistæ 1. p. q. 16. art. 2. & Ferrar. 1. cont. Gent. cap. 54. & Egid. in 1. dist. 36. q. 5. ad 2. Et ibi Richard. art. 2. q. 2. De humano autem exemplari citati auctores Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

res non tam expresse loquuntur: nonnulli autem recentiores aiunt, semper esse rem cognitam distinctam ab exemplato, quæ vel est res aliqua particularis, sensibus obiecta, aut mente cōcepta, vel est aliquid confusè conceptum, à quo etiam distinguitur particulare artificium, quod in indiuiduo fit ad imitationem eius, quod confusè conceptum erat.

Fundamenta dictæ sententia.

Fundamenta huius posterioris sententiæ omitto, quia quatenus probant exemplar non posse esse eandem rem, quæ per exemplar fit, neque creaturas cognitās respectu intellectus diuini, nos illis vtemur: quatenus vero probant in communi ideam esse conceptum obiectiuum, eadem sunt cum fundamentis prioris sententiæ. Potest ergo illa opinio suaderi, primò ex quadam proportionem inter exemplar, & finem, vtumq; enim requirit esse cognitum, vt suum munus exercere possit: nam sicut finis nō mouet nisi cognitus, ita exemplar non dirigit, nisi mente perceptum. Deinde sicut in fine non mouet esse formale cognitionis, sed bonum ipsum obiectiue cognitum, ita in exemplari non dirigit actionem agētis esse formale cognitionis, sed forma ipsa cognitioni obiecta: nam illa est, quæ per cognitionem proponitur imitanda in ipsa actione: ergo sicut finis non est subiectiue in intellectu, sed obiectiue, ita & exemplar est obiectiue in intellectu & non formaliter. Secundò ex communi modo loquēdi de exemplari: nam exemplar dicitur quod imitatur artifex, vel ad cuius imitationem producit effectum, dicitur etiam forma, non à qua, sed ad quam intuenso artifex operatur, sed hæc conueniunt rei, vt menti obiectæ, ad illam enim artifex intuetur, non ad suum formalem conceptum: nec enim necessaria est hæc reflexio. Tertiò, quia Theologi omnes dicunt esse in Deo plures ideas ex sententia August. lib. 83. quæst. q. 46. sed non possunt dici plures, nisi quia in esse cognito sunt plures creaturæ ipsæ in esse obiectiuo: ergo in vniuersum exemplar est conceptus obiectiuus & non formalis. Quartò, si Beati videntes in Deo creaturas acciperēt virtutem efficiēdi in re ipsa tales creaturas, haberent proprie exemplaria seu ideas creaturarum, & non per conceptum formalem seu verbum quod ipsi formant, quia re vera non formāt tale verbum, vt multorum est opinio: ergo ipsæ creaturæ, quas in verbo increato inspicunt, haberent tunc rationem ideæ: ergo pertinet per se ac formaliter ad rationem exemplaris, quod sit obiectiue in mente. Alia argumenta proponunt Durandus & Gabriel, quæ omitto, quia omnia supponunt exemplar habere rationem obiecti cogniti, & ex hac suppositione inferunt non posse esse rem aliam, nisi ipsammet, quæ per actionem fit, quatenus in esse cognito supponitur in mente artificis: quam consecutionem ego facile concedam, vt in sequentibus dicam, nunc vero de eo, quod supponunt, inquirimus, an verum sit, scilicet, exemplar habere rationem obiecti cogniti.

Secunda sententia, exemplar esse subiectiue in mente.

IX. Secunda sententia est ideam esse in intellectu subiectiue ac formaliter, atque adeo esse formalem conceptum, quem artifex format de re quam facere instituit. Hanc opinionem tenet Alexand. Alenf. 1. p. quæst. 23. memb. 4. artic. 1. vbi apertè dicit, ideam esse sapientiam & exemplar Dei, & quod secundum exemplar dicitur Deus sapiens. Quamquam ibi constituit nescio quam differentiam inter exemplar & ideam, quæ mihi non probatur. Eandem sententiam tenet Bonauent. in 1. dist. 35. artic. 1. quæst. 1. vbi hac ratione dicit, Deum cognoscere per ideas, & habere in se rationes & similitudines rerum, quas cognoscit.

Bbb

Idem

Idem sentit Capreolus in 1. distinct. 36. quest. 1. arti. 1. ad 1. Durandi cont. 3. concl. quatenus dicit: ad ideam sufficere, quod sit talis secundum representationem, qualis est res cuius est idea, & inferius, quod si creatura non contineretur in diuina essentia, nisi obiectiue, & nullo modo formaliter aut virtualiter, hoc non sufficeret, vt haberet rationem ideæ. Eademque videtur esse sententia D. Thomæ 1. p. questio. 15. nam artic. 1. ait ideam esse formam, id est, similitudinem rei faciendæ, quam in se habet artifex secundum esse intelligibile. Et solut. ad 2. ait, Deum per essentiam suam habere ideas, quia per essentiam suam cognoscit res à se operabiles: non cognoscit autem Deus creaturas per eas inesse cognito, sed per conceptum formalem earum. Et solutione ad 3. ait, in tantum diuinam essentiam esse ideam, in quantum ipsa est similitudo rerum omnium: quod non potest intelligi de similitudine naturali, sed de similitudine seu representatione intentionali, quæ habetur per formalem conceptum. Et de eadem intelligendus est in artic. 2. dum ait, in diuina essentia esse ideam, quatenus est participabilis secundum aliquem modum similitudinis à creaturis, & solutione ad 1. ait, ideam esse essentiam, in quantum est similitudo vel ratio: vbi posterior illa vox, scilicet *ratio*, declarat priorem, scilicet *similitudinem*: nam ratio proprie non dicitur, nisi de conceptu formali expresse representatione intellectui rem in eo ideatam. Et solutione ad 2. ait, Deum intelligere plures rationes rerum, quatenus intelligit se intelligere res plures extra se, & hoc modo esse in Deo plures ideas, & idem proportionaliter dicit ibidem de exemplari cuiusunque artificis. Et hæc sententia mihi magis probatur. Vt autem distinctius proponatur & probetur, nonnullæ assertiones proponendæ sunt.

Prior assertio contra priorem sententiam.

X. **D**ico primo: Exemplar non est res obiectiue cognita, seu obiectiue tantum exiens in mente artificis. Probatur, quia vel est res eadem quam artifex facit, seu facturus est, aut facere potest, vel est alia obiectiue cognita, & à formali conceptu distincta, ad cuius imitationem alteram facit, neutrum horum dici potest: ergo. Antecedens quoad vtramque partem ostenditur primo in exemplaribus diuinis, deinde in creatis.

Probatur assertio in diuinis exemplaribus.

XI. **P**rior pars probatur, quia idea diuina, iuxta sententiam magis consentaneam Sanctis Patribus, magisque Theologis probatam, non est aliquid creatum vel creabile, sed ipsamet diuina essentia increata. Quod sumitur ex Dionysio c. 5. de diu. nom. dicentia: exemplaria esse rationes substantificas existentiunt, & singulariter preexistentes, quas Theologia prædestinationes vocat, & bonas voluntates. Quibus verbis significat ideas non esse res aliquas extra Deum, nec creaturas obiectiue existentes in mente Dei, sed rationes earum substantificas, id est, substantiales, vel substantiarum factiuas singulariter, id est, vnitè & simplicissime existentes in Deo, vt in sequentibus manifeste exponit.

XII. Similiter August. 11. de Ciuit. cap. 29. ait: in verbo Dei esse causas rationesque rerum secundum quas factæ sunt, incommutabiliter permanentes, quod dicinò potuit, nisi propter ideas increatas, & tractat. 1. in Ioan. ita exponit verb. illa: Quod factum est in ipso vita erat, quia quod factum est, in Deo habet rationem, quæ vita est. Idque declarat ex emplo artificis: qui in arte sua habet arcam: Quæ in arte (inquit) vita est, quia viuunt anima artificis, vitam appellat in artifice, quia est opus vitæ, in Deo autem, quia est ipse conceptus Dei, qui est vita per essentiam. Eodem modo hoc exponit libr. 65. questio. quest. 26. & libr. 5. Genes. ad lit. ca. 13. similiter ideas vocat di-

uinas, incommutabiles æternasque rationes, & statim ca. 14. ratione illarum intelligit scriptum esse: Omnia quæ facta sunt in Deo viuere, scilicet in Dei cognitione. Idem significat 12. de Ciuit. c. 25. & 26. & in libr. 83. quæ. q. 46. vt supra retuli, dicit: ideas esse principales formas, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipse formata non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ in diuina intelligentia continentur. Et infra ait: has ideas non posse videri, nisi visione beata, & inferius ait: eas vere esse, earumque participatione fieri, vt sit quidquid est. Est ergo aperta sententia Augusti. ideas non esse creaturas, sed rationes increatas in ipsa mente Dei vere & realiter existentes.

Quod etiam non obscure sentit Ambrosi. 2. Hexame. ca. 1. & 2. vbi improbat Platonis & Philosophorum sententiam, ponentium exemplaria distincta à Deo, ad quæ intendens Deus res creauit: sentit ergo creaturam, vt est aliquid à Deo distinctum, non posse esse exemplar quo Deus operatur: ergo siue creatura sumatur exiens actu, siue potentia seu secundum esse essentia, non potest esse exemplar diuinum: nam vtroque modo est extra Deum. At eodem modo alij Patres Iustin. martyr oratione Parenet. ad Gentes, sub finem, & Eusebius Cæsariensis lib. 11. de Præparat. Euangel. c. 11. & Gregor. Nazianzen. orat. 33. quæ est prima de Theologia in fine, & in eundem locum Helias Cretensis damnant sententiam Platonis quantum ad eam partem, qua asseruisse fertur Deum intuentem ad exemplaria, extra se res condidisse: idem enim necesse est, dicant, qui docent creaturas, vt obiectas diuino intellectui esse ideas eius, nam res vera creaturæ etiam sic sumptæ, sunt aliquid extra Deum, parumque refert, quod secundum existentiam actiualem, vel secundum essentiam ponantur habere rationem ideæ. Ratione etiam probatur hæc pars, quia exemplar est vera causa effectiōis rei, sed creatura possibilis vt obiecta menti Dei non est vera causa sui ipsius vt facta: ergo. Maior infra probabitur, minor constat, quia alias non posset Deus creaturam causare, nisi cū illo concitante ipsa creatura vere ac proprie, quod est absurdissimum. Alias probationes generales proferemus statim.

Vt etiam probatur altera pars, scilicet, neque aliam rem obiectiue cognitam, & distinctam à formali conceptu, posse inueniri in intellectu Dei, quæ habeat rationem exemplaris. Et primum quidem hoc confirmant testimonia Patrum, præsertim Augustini: nam ideas collocat in ipsamet arte, quatenus per eam formatur ratio, vel conceptus rei efficiendæ: in quo conceptu dicitur contineri effectus, quia illum representat, & ita ex illius sententia ideam in Deo non esse, nisi essentia intellectiualiter representans rem faciendam. Secundo argumentor ratione, quia in Deo non est obiectum cognitum ratione distinctum à cognitione, nisi vel primum, quod est essentia diuina, vel secundarium, quod sunt creaturæ: de hoc autem posteriori iam ostensum est, non habere rationem ideæ, de priori ergo probatur, quia in essentia diuina, vt sic condistincta à cognitione, non continetur creatura vt in causa exemplari, sed vt in causa efficiente, quæ solum eminenti virtute continet creaturas, non formaliter villo modo: ergo secundum eam rationem non potest habere rationem exemplaris. Probatur minor simul cum consequentiis, quia de ratione exemplaris est, vt sit forma extrinseca, atque adeo vt formaliter contineat rem exemplatam, vel per convenientiam formalem, & similitudinem, vel per representationem, intentionalem seu intellectualem.

Et confirmatur ac declaratur in hunc modum, nam, essentia diuina, si consideretur prius ratione, quam sit cognoscens, vel cognita à se, non potest intelligi vt exemplar creaturarum secundum proprias rationes earum, quia licet eminenti virtute contineat illas, non tamen formaliter villo modo eas continet.

net aut refert: sicut lux solis, licet eminenter contineat calorem, nō potest dici idea caloris, quia secundum se nec formaliter, neq̃ repræsentatiuē exprimit calorem. Rursum ergo diuina essentia, vt cognita non potest habere rationem exemplaris. Probat̃ur consequentia, tum quia esse cognitum (vt ita dicam) non constituit exemplar in esse exemplaris, sed supponit illud, & ad summum esse potest conditio necessaria vt causet, si ergo essentia diuina secundum se non habet rationem exemplaris, ex eo præcisè quod cognita sit, non habebit illam. Tum maximè, quia vel consideratur essentia præcisè & secundum se cognita: & vt sic non potest esse exemplar, quia, vt sic est omnino dissimilis creaturis, vel consideratur vt in illa cognita cognoscuntur tanquam in causa creaturæ, & hoc modo obiectum talis cognitionis iam non est solum primarium, sed etiam secundarium, si ergo obiectum sic cognitum est idea, creaturæ ipsæ sunt idæ, vel saltem complent rationem idæ: quod æque improbat̃ur rationibus factis in priori membro.

Dicitur fortasse, neque essentiam absolute cognitam, neq̃ creaturas cognitās, sed essentiam cognitā vt participabilem à creaturis esse ideam. Sed contra, quia cognoscere essentiam vt participabilem à creatura nihil aliud est quam cognoscere, ex vi talis essentia possit creaturam talem gradum entis participare. Sed hoc non est aliud quam cognoscere ipsam creaturam, quatenus ex vi eminentis virtutis Dei potest ab illa prodire: ergo talis cognitio re vera est cognitio creaturæ in Deo: ergo si obiectum illius cognitionis est idea, creatura erit idea. Et confirmo, quia in Deo tantum sunt cognita, aut ea, quæ sunt eminenter in ipso, aut quæ sunt formaliter: ergo si essentia vt obiectiuè cognita, est idea, vel est secundum ea, quæ formaliter in ipsa continentur, & hoc non, aliis absolute & præcisè cognita absque creaturis esset idea, quod constaret esse impossibile, quia, vt sic omnino est dissimilis creaturis, & eas secundum propria earum non repræsentat, vel est idea secundum ea, quæ habet eminenter, & secundum quod talia cognoscuntur in ipsa, & sic potius ipsæ creaturæ cognitæ vt eminenter contentæ essent idea. Vel idea diceretur ipsa essentia secundum mediam quandam rationem, scilicet secundum id, quod formaliter est non absolute, sed vt dicitur habitudine quadam ad res, quas continet eminenter, ratione cuius potest esse primum obiectum, in quo creaturæ secundariò cognoscantur: & hoc etiam non recte dicitur, tum quia illa habitudo potius est ex parte creaturarum, quatenus à Deo possunt pendere, & sunt quædam participationes eius, tum maxime, quia essentia Dei non est obiectum primum, in quo cognoscantur creaturæ, vt in aliqua imagine repræsentante, sed vt in causa effectiua eminenter illas continente, & ideo vt sic non potest habere rationem exemplaris: ergo exemplar in mente diuina non est res obiectiuè cognita vt sic, & vt præcisè secundum rationem ab ipsa cognitione. Quod si quis tandem dicat cum Durando essentiam diuinam habere rationē exemplaris saltem imperfecti, quatenus saltem analogicè est imitabilis à creaturis, illud sane improprijssime dictum est, tum quia exemplar dicit propriam aliquam rationem effectus, illa autem est communissima ratio, tum etiam, quia essentia sub illa ratione nō habet proprium concursum causæ exemplaris. Hic enim non conuenit rei quatenus est, sed quatenus cognoscens est, vt sequente secl. ostendam. Denique, quia illa esset imperfectissima ratio exemplaris.

Probat̃ur assertio in exemplaribus creatis.

Ex his facile potest vtrumque membrum probari in exemplaribus artefactorum, quæ sunt in intellectibus creatis. Primò quidem, quia licet hæc exemplaria creata nobis notiora sint, tamen in se sunt Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

imitationes quædam diuinorum exemplarium: unde eandem proportionem seruant. Quapropter mihi semper displicuit eorum sententia, qui in hoc negotio aliter sentiendum putant de diuinis, quam de creatis exemplaribus, vt illa dicant esse posita in formali conceptu, hæc in obiectiuo, vel è conuerso: id enim nulla ratione fulcitur, nam licet in perfectione longe inter se distent hæc exemplaria, tamen in modo existentiæ, repræsentationis, & causalitatis seruant proportionem, vt ratio facta probat, quia vnum est participatio & imitatio alterius, sicut etiam in genere efficientis, aut finis causa secunda imitatur primam, quantum potest. Et ideo longe melius D. Thom. parem rationem quoad hoc esse censuit de diuinis & creatis exemplaribus, vt patet ex citatis locis, præsertim 1. p. q. 15. artic. 2. ad 2. & idem supponunt Scotus, & alij, ac meritò.

Secundò idem probatur ferè eodem discursu, nam si exemplar artificiosum est aliquid cognitum ab artifice, vel hoc est illud ipsum artificiatum, quod efficiendum est, vt obiectiuè præexistens in cognitione, vel est aliquid aliud imitandum in effectione alterius. Hoc posterius dici non potest, quia sæpissime nullum aliud obiectum interuenit, quod artifex intueatur. In humano enim artifice cessat illa ratio, quæ est in Deo, qui nihil potest extra se cognoscere, nisi vt secundarium obiectum cognitum in sua essentia vt in primario: & ideo in diuina cognitione semper interueniunt quasi duo obiecta: de quibus oportuit figillatim dicere. At vero artifex creatus directe & immediate concipit artificium, & media illa cognitione illud operatur: ergo non est ibi alia tertia res, quæ possit habere rationem exemplaris. Responderi potest artificem creatum non concipere illud ipsum artificiatum in particulari & in indiuiduo, quod facturus est, sed solum in confuso artificiatum talis rationis vel figuræ: & ideo semper habere idolum obiectiuè conceptum distinctum ab artificiato, quod facit postea ad imitationem illius idoli. Sed in primis, vt statim dicam, ille modus præconciipiendi non est per se in artifice vt sic, sed in artifice imperfecto, aut imperfectè cognoscente. Deinde ille conceptus confusus non est in re distinctus ab effectu, sed tantum ratione, vt commune à particulari, & si effectus consideretur, vt per se cadit sub intentionem talis artificis, non includit, nisi illam rationem confusam: exemplar autem solum respicit id, quod per se cadit sub intentionem agentis: ergo quatenus ibi potest interuenire causalitas exemplaris, non distinguitur obiectum præconceptum ab effectu per se facto ex intentione agentis.

Dicere aliquis potest aliquando saltem interuenire externum exemplar, quod intiendo ad eius similitudinem artifex operatur: & tunc saltem dici posse exemplar esse rem obiectiuè cognitā, & in intellectu tantum obiectiuè existentem. Respondeo, nos loqui solum de exemplari interno, vt in principio diximus: quia illud solum censemus esse propriam & per se causam exemplarem respectu actionis operantis. Nam illud aliud externum exemplar, vel solum est remotum, quatenus est causa cognitionis operantis, vel interdum etiam non est causa, sed tantum terminus extrinsecus actionis operantis: quomodo aliquando potest reperiri etiam respectu Dei, vt videbimus, & declarabimus secl. seq.

Nec etiam dici potest ipsummet artificiatum, vt præcognitum ab artifice creato esse exemplar sui ipsius vt faciendi. Quia si creaturæ præcognitæ à Deo non sunt idæ, cur erit res artificiatæ, vt præcognita ab artifice? Respondent aliqui esse discrimen, quia Deus non accipit cognitionem à rebus, sicut humanus artifex. Sed hoc non video quid referat ad rem præsentem, nam si in cognitione, quæ sumitur ex rebus ipsis, posset res cognita esse exemplar sui, multò magis in cognitione, quæ non sumitur ex rebus, sed

E b b 2

quam

XVII.

XVIII.

XIX.

quam Deus ex seipſo habet, poſſent res cognitæ eſſe exemplaria, quia ante talem cognitionem nullo modo ſupponantur eſſe ſecundum ſuum formale eſſe: per cognitionem vero exprimentur, & quali formantur (quod fortalle appellauit Scotus fieri in eſſe cognito.) Ergo eſt conuerſo, ſi in Deo, qui præconiſit res non ſumendo ſcientiam à rebus, nihilominus res cognitæ non habent rationem exemplarem, neque in humano artifice habere poterunt. Eò vel maxime, quod poſſumus conſtituere artificem non ſumentem ſcientiam à rebus, ſed habentem illam per ſe inſeſum. Alij conantur rationem reddere ex eo, quod ſcientia Dei eſt diſtinctiſſima, conceptio vero humani artificis eſt conſuſa. Sed hoc nec eſt per ſe, nec ſatisfacit, vt dictum eſt, & declarabitur amplius in ſeq. ratione.

XX. Secundo ergo argumentor, quia humanus artifex nunquam præconcepit rem à se faciendam, omnino, & in indiuiduo eandem quam postea facit, quia nunquam potest certo scire, quæ & qualis sit in indiuiduo futura res per artem à se elaboranda, nam terminatio effectus in indiuiduo pædet ex varijs circumstantijs, vel ex superiori agente, vt in præcedentibus tractum est. Quæ ratio bene probat, regulariter & humano modo loquendo, nõ cadere sub exemplar humanum idem artificium in indiuiduo, quod postea fit: neq; id mirum est, quia etiam determinatio actionis ad talem effectum in indiuiduo non cadit per se sub intentione humana: exemplar autem solum est respectu illius rei, ad quam dirigi potest humana intentio. Tamen illa ratio non probat, quod saltem secundum communem rationem talis artificij, secundum quam cadit sub intentionem agentis, idem vt præcognitum non sit exemplar sui ipsius vt per artem facit. Item non probat illa ratio quin absolute etiam idem numero possit esse exemplar sui ipsius, vel in mente Angeli, vel etiam hominis, si diuinitus confortetur ad præconipiendum effectum, vt in indiuiduo periciendus est.

xxi. Probatur ergo aliter, quia exemplar est causa vera & realis rei, quæ per illud fit: ergo non potest esse ipsamet res, quæ postea fit, vt antea erat præconcepta. Antecedens infra probabitur: consequentia patet, quia idem non potest esse vera ac propria causa sui ipsius. Nec vero satis est, quod res præconcepta, & res producta distinguatur vt res in potentia, vel in actu existens: nam huiusmodi res in actu & potentia eadem est, & eandem existentiam vt actu exercitum, vel vt possibilem includit: & ideo non potest res, vt in potentia esse causa sui ipsius vt in actu. Et hæc ratio generaliter procedit etiam de ideis diuinis.

XXII. Sed responderi adhuc potest, in ijs causis, quæ soli influunt secundum esse menti obiectum, non esse inueniendū idem causam sui ipsius, vt patet in causa finali, de qua Arist. dixit coincidere in eandem numero cum forma facta. In hoc autem reperitur quædam conuenientia inter exemplar & finem, nam vtrumq; causat vt in cognitione existens. Sicut ergo eadē res in ratione finis mouet ad effectum suū, ita in ratione exemplaris dirigit aut cōducit suo modo ad effectum suū. Ratio enim vtriusq; communis est, quia in alijs generibus ideo non potest idē esse causa sui ipsius, quia supponitur esse vt causat: ergo quod nō supponitur esse, nisi vt cogn- tum vt causet, non repugnat causare seipsum in existentia reali. Maxime cum vtriusq; casualitas, finis & exēplaris, non tendat in effectum, nisi quodammodo medio agente, mouendo vel dirigendo actionem eius.

xxiii. Sed hoc improbari potest primo ex ipsius ratione explicandi causalitatem exemplarem, & differentiam, quæ versatur in hoc, inter illâ & finalem. Exemplar enim dicitur esse forma, ad cuius instar vel imitationem aliquid fit: in quo caufandi modo videtur necessarium includi distinctionem inter formam, quæ est exemplar, & formam exemplatam seu rem effectam,

quia idem non dicitur fieri ad imitationem sui, nec
assimilari sibi ipsi: ergo non potest idem dici exem-
plar vel idea sui ipsius. Sed hæc ratio videtur in folo
loquendi modo habere vim & efficaciam suam. Pos-
set enim quis respondere, non esse de ratione exem-
plaris, vt effectus fiat ad instar, vel imitationem eius.
Sed, vt Seneca dicit: *exemplar esse ad quod respiciens ar-
tífex, id quod destinabat, efficit*: his enim verbis non in-
uoluitur relatio, quæ distinctione perat inter exem-
plar & exemplatum, & tamen sufficienter declarat
rationem exemplaris. Assumptum patet, nam potest
artífex, mente respiciens ad aliquod artefactum pos-
sibile, illud ipsum destinare efficere: ergo saluatur
ita & sufficiens definitio exemplaris absq; distinc-
tione, quam perat similitudo vel imitatio effectus respec-
tu exemplaris. Et cõfirmatur hoc ac declaratur am-
plius, non si quando artífex concipit rem vnã, &
ad instar vel imitationem illius aliam distinctam fa-
cere proponit, hoc satis est; vt res prior habeat ratio-
nem exemplaris: cur non res eadem obiectiue con-
cepta, si in re ipsa efficienda proponitur, sicut con-
cepta est, non habebit rationem exemplaris respectu
sui ipsius? Nam re vera videtur eodem modo dirige-
re actionem agentis: inò tanto perfectius, quanto est
maior ad æquatio rei factæ ad rem conceptam, quæ
tanto erit maior, quanto fuerit maior identitas.

Propria ergo ratio huius partis petenda videtur ex hoc ultimo, quod nunc dicebamus, scilicet munus proprii & interni exemplaris, de quo agimus, effuderigere actionem agentis, quoad specificationem (vr abici) hoc autem munus non est obiecti cognitio, sed cognitionis eius, quatenus in illa continetur in effe representationis. Quæ ratio magis explicabitur ex sequenti.

*Secunda assertio & approbatio secunda sen-
tentia.*

Dico secundò: Exemplar inest formaliter intellectu tanquam conceptus formalis eius. Cum verbo inhærere hic vrimur, quoniam nunc abstractè & in communi loquimur de exemplari, siue creato, siue increato, late intelligendum est siue per vniorem & propriam inhærentiam, siue per identitatem & simplicitatem. Sic igitur conclusio posita est valde consentanea locutionibus D. Thom. & Sanctorum supra adductis. Dum enim ut mentem esse sedem idearum, & ideas diuinas esse rationes rerum immutabiles & æternas, & formas intelligibiles, satis significant, & esse veras res existentes ex æternitate, & esse in Deo intrinsecè, & esse in eo formaliter quantum intelligens est, & intellectualiter repræsentans omnia, quod conuenit illi ratione sui conceptus seu actus intelligendi. Eodem modo sensisse Platonem de ideis, docuerunt multi, & præsertim indicat Aug. citatis locis. Explicuit optimè Cælius Rhodigin. libr. 16. lect. antiq. cap. 17. his verbis: Deus, qui omnipotens est, & dicitur, in mente sibi inherere creandarum rerum naturas effingit, ac pingit quodammodo, et in corporibus istis sentimus omnia: illic colorum globi ac elementarum moles: omnia denique, etiam animalium generumque formas, quas in diuina confertis mente, Dei fomento est, ac diuinitas non ambigitur Platonici. Similiter Eugeb. lib. 1. de Peren. Philosoph. capite 12. refert ex Plutarcho Socratem & Platonem posuisse ideas in cogitationibus ipsiusque Dei, hoc est, menti subsistentes: & infra ex eodem Plutarcho obseruat ideam esse diuinam mentem atque ipsas ideas, & ex Philone & Plotino idem esse totam aduersionem, atque ipsam immensam Dei sapientiam, & ex Trisincrito & Chaldaïs, ideas esse Patris cogitationes, & rationes vniuersales naturæ. Eandemque esse Aristotelis sententiam de exemplari creato, paulo inferius ostendam.

Ratione probari potest hæc sententia a Iuribus
ti partium enumeratione, nam exemplar est in intel-
lectu,

lectus, & non obiectiue tantum: ergo est in eo forma-
liter seu inhæsiue: non est autem ipsemet intellectus,
quatenus est vel intelligitur à nobis vt nuda poten-
tia, quia vt sic non est forma repræsentans, quod est
de ratione exemplaris: & eadem ratione non est ali-
quis habitus ex ijs, qui iudicatiui dicuntur, & tenent
se ex parte potentiæ, vt esse potest, v. g. ars in intelle-
ctu humano, qui etiam huiusmodi habitus non est
forma repræsentans formaliter, sed inclinās tantum
ad iudicium. Nec etiam in intellectu humano est
species intelligibilis, tum quia, iuxta veriorē sen-
tentiam, species hæc non repræsentat formaliter, sed
est tantum semen obiecti efficienter cooperans ad
formalem repræsentationem, quæ fit per actum aut
verbum: tum etiam, quia species per se ipsam non est
causa operatiua ad extra, seu directiua operationis,
quod conuenit exemplari. Superest ergo, vt conce-
ptus ipse formalis practicus rei efficiendæ, sit proprie
exemplar.

distinguitur ab ipsa re, idem autem non est men-
sura sui ipsius: si vero sit conceptus alterius rei, vel
per accidens, & remotè tantum se habet, vt dictum
est, vel non habet in se formam effectus, nec forma-
liter, neq; repræsentatiue, & ideo vt sic non potest ha-
bere rationem mensuræ.

Quartò tribuitur idæ, esse principium cognitio-
nis, vt notat D. Thom. dicta quæst. 15. art. 1. id autem
non est intelligendum de principio effectiui, quia, vt
diximus, species intelligibilis non est proprie exem-
plar: ergo oportet intelligi de principio formali: nam,
obiectum præcisè vt cognitum, seu vt terminati-
uum, non dicitur proprie principium cognitionis,
cum potius sit finis & terminus: principium autem
formale cognitionis est ipsemet conceptus forma-
lis: ergo ille est propriissimum exemplar, si sit con-
ceptus rei efficiendæ.

XXIX.
Quartum.

Affertio tertia.

Dico ergo tertio: Non est de ratione exemplaris,
vt sic non esse quantum ad esse eius, quod sit a-
ctu, & directe cognitum vt obiectum quod: tamen
vt causet, oportet vt aliquo modo cognoscatur, &
quò perfectius fuerit cognitum, eò, cæteris paribus,
perfectius causabit. Hæc conclusio proponitur ad
dissoluendum fundamentum contrariæ sententiæ,
& in ea supponimus exemplar causare, quamuis non-
dum probatum sit, quia ita in communi sumptum,
est per se manifestum: & nunc est nobis necessarium
ad distinguendum, in quo consistat proprium esse
exemplaris, quid vero sit conditio requisita, vt cau-
set. Communiter enim dici solet de ratione exēpla-
ris esse, vt sit actu cognitum, quia non videtur satis a-
nimaduersum, quod sicut in fine distinguuntur illa
duo, scil. esse ipsius finis per quod causat, & esse co-
gnitum, quod est conditio necessaria ad causandum:
ita in exemplari sunt hæc duo distinguenda: nam esse
cognitum vt sic, quatenus dicitur de obiecto directe
cognito, cum sit sola extrinseca denominatio, nō po-
test esse propria ratio constituens ipsum exēplar, nec
potest esse in illo formale principium causandi.

XXX.

Præterea, sicut de fine dicebamus, non mouere ad
apparendum secundum esse cognitum quoad deno-
minationem (vt ita dicam) sed quoad rem denomi-
natam, seu quoad ipsum esse quod cognoscitur, ita
exemplar non dirigit ad efficiendum in effectu ipsum
esse cognitum quoad denominationem, neq; tale ef-
fe, quale est esse in cognitione: ergo exemplar in esse
exemplaris non constituitur per esse cognitum vt sic.
Vnde etiam in exemplari externo & remoto, cum i-
mago visui proposita dicitur exemplar, ad cuius imi-
tationem alia fit, licet oporteat illam imaginem esse
visam aut cognitam, non tamen constituitur in illo
modo exemplaris per esse visam, sed hæc est conditio
necessaria, esse autem sic depictam vel figuratam,
est proprium esse talis exēplaris. Et iuxta opinionem
asserentem artificium ipsum, vel creaturam menti
obiectam esse exemplar, dici non potest, quod esse
cognitum, quantum ad denominationem cogniti,
constituat illam in esse exemplaris, cum in effectu
non intendatur similitudo, seu conformitas quoad
illam denominationem, sed quoad esse naturale, vel
artificiale, quod in tali re cognoscitur: ergo idem di-
cendum est in omni sententia, quod nimirum exem-
plar non constituitur in esse exemplaris formaliter
ac præcisè ex eo, quod cognoscitur, sed ex proprio &
quasi intrinseco esse, quodcunque illud sit, quod vel
cognoscitur, vel potest cognosci.

XXXI.

Hinc ergo videtur satis probata prior pars cōclu-
sionis: nam si exemplar non constituitur formaliter
per esse cognitum: ergo cognosci vt sic, præsertim di-
recte & vt obiectum quod, non est de ratione exem-
plaris quatenus exemplar est. Et hoc etiam confor-
mari potest ex prima conclusione: nam dictum est

XXXII.

Bbb 3 exem-

Secundò probatur ex munere, seu officio ipsius
exemplaris: eius enim est determinare actionem ex-
ternam intellectualem agentis: & ideo quoad hoc ge-
neralius formæ, nam res naturales determinatur
per naturales formas, vel qualitates ad suas actiones:
agens vero intellectualem per formam intellectualem
sibi proportionatam, vt recte notauit D. Thom. di-
ctis quæstionibus 15. i. part. & 3. de veritate. Est ergo
exemplar forma actiua & informans ipsum intel-
lectuale agens: non est autem alia forma, nisi conce-
ptio eius, vt declaratum est. Rursus pertinet ad mu-
nus exemplaris dirigere actionē agentis intellectu-
alis, vt in certum terminum & scopum tendat, vt non
cassu, neq; irrationali modo fiat: & ideo dixit August.
tam esse certum Deum habere exemplaria, quam est
certum operari ex ratione: hæc autem directio non
fit, nisi per actualem mentis repræsentationem, quæ
est veluti quoddam lumen, quod præit ostendens
viā & modum, ac terminum operationis: hoc au-
tem totum fit formaliter per ipsummet conceptum
formalem mentis. Et ob hanc causam res ipsa directe
concepta non potest proprie dici exemplar: nam si
illa res sit ipsamet, quæ faciendā est & omnino eadem
in indiuiduo, non est illa, quæ dirigit, sed ad quam
dirigitur actio medio exemplari: neque illa proprie
imitanda proponitur, sed faciendā: quod vt recte
fiat, dirigitur actio per exemplar mente conceptum.
Si autem illa res concepta sit alia, vt est in artifice cre-
ato imago externa, vel aliquid simile, talis res non est
per se necessaria ad operationem artis, quæ fit per ex-
emplar, nam melius fieret per propriam & imme-
diatam cognitionem ipsiusmet rei arte efficiendæ: il-
lud ergo externum adminiculū (vt ita dicam) menti
obiectum, non est proprium & per se exemplar, sed
est quasi materia remota, vel obiectum adiuuans ad
formandum aliquale, seu imperfectum exemplar.
Deniq; si illa res alia concepta, sit tantum causa vir-
tualiter continens rem faciendam per exemplar, vt
est in increato artifice diuina essentia, illa vt sic non
potest esse exemplar, quia non est vllō modo forma
formaliter continens, aut repræsentans rem facien-
dam, vt superius argumentabamur. Neque illa vt sic
dirigit actionem artificis, sed solū est quasi ratio (re-
mota secundum rationem) concipiendō exemplar,
seu idem, quæ dirigit operationem artificis.

Tertio solet attribui exemplari, esse mensuram &
regulam veritatis & proprietatis rei factæ. Quo sen-
tu (vt supra tractauimus disput. 8.) dicunt multi au-
ctores, & interdum D. Tho. veritatem entium crea-
torum sumi ex cōformitate ad exemplaria, quæ sunt
in intellectu diuino, tanquam ex mensura earum:
veritatem autem rerum artificialium sumi ex cōfor-
mitate ad intellectum humanum: nam exemplar arti-
ficis est mensura artificii. Hoc autem proprie con-
uenit conceptui formali: nam conceptus obiectiuius,
si sit omnino proprius & adequatus rei faciendæ, non

Franc. Suar. Metaph. Tom. II.

exemplar non esse, formaliter loquendo, conceptum obiectuum, qui formaliter in esse talis conceptus constituitur per se esse cognitum: ergo hoc esse non est formaliter de ratione exemplaris ut sic.

XXXIII.

Alteram vero partem conclusionis confirmant ex parte argumenta prioris sententiae, eamque sumo ex D. Thom. 1. parte quaest. 15. artic. 2. ad 2. Et declaratur primò in exemplaribus diuinis: nam Deus cognoscendo in sua essentia creaturas, format (ut more nostro loquamur) rationes, seu conceptus earum, per quos illas directe cognoscit, licet ut secundaria obiecta suae scientiae. Quia vero eius scientia est perfectissima, cognoscendo & formando exemplaria creaturarum, cognoscit in seipso conceptum illum, qui intellectualiter repraesentat creaturas: quod est cognoscere in se exemplaria creaturarum. Vbi ratione distinguendo illa duo, intelligimus prius esse formalia ipsa exemplaria, & deinde cognosci, quae licet videatur esse reflexio quadam, in Deo tamen propter summam simplicitatem & infinitatem illius actus, eodem simplicissimo actu utrumque cognoscitur. Hocigitur modo est in Deo idea (ut ita dicam) non tantum formata, sed etiam cognita, & ut sic habet totum id, quod ex parte intellectus necessarium est, ut in suo genere causet, quia & est forma existens in mente artificis, & est ita proposita & applicata, ut possit ad illam respiciens, rem per eam repraesentatam efficere ad illius imitationem. Et ita distinguentes in Deo secundum rationem ideam à cognitione ideae, sicut etiam distinguere possumus ratione cognitionem directam à reflexa, & ideam quoad suum esse consistere intelligimus in conceptu formali, quem directe Deus habet de re operabili seu facienda, prout facienda est: cognitionem autem ideae intelligimus esse quasi perfectam quandam applicationem, & conjunctionem ad ipsum artificem, ut ad illius imitationem producat effectum.

XXXIV.

Ad hunc fere modum ratiocinatur D. Thom. supra de exemplari existente in mente artificis: Nam dum artifex (inquit) intelligit formam domus in materia dicitur intelligere domum: dum autem intelligit formam domus ut à se speculatam, ex eo, quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam vel rationem domus. Vbi plane distinguit aliud esse formare ideam, aliud intelligere ideam. Nam si artifex dum intelligit formam & rationem domus, ut à se speculatam intelligit ideam: ergo dum ipsam rationem & formam domus speculatur, format ideam: ut tamen per illam operetur, & ad imitationem eius domum efficiat, reflectitur supra rationem domus ut à se speculatam, & ita agnoscit ideam, & per eam cognitionem, quasi applicat exemplar ut per illud causet. Sicigitur constat quomodo cognitio ideae ad causalitatem deferuiat.

XXXV.

Qualis cognitio exemplari requiratur, ut artifex eo uti possit.

Statim vero oritur dubium, an huiusmodi reflexio sit simpliciter necessaria in artifice, ut per exemplar à se conceptum possit exterius operari: in Deo enim semper est necessaria illa, quasi reflexio, non tam ob causalitatem quam ob infinitam perfectionem illius scientiae, quae non potest ita terminari ad aliquod obiectum, quin intrinsece seipsam sub omni ratione & repraesentatione intueatur. At vero in artifice creato cum illa reflexio fieri debeat per actum distinctum, difficile creditur est, vel necessariam esse, vel semper interuenire quoties artifex per suam artē, seu per exemplar illa formatum operatur. Imò experientia videtur contrarium ostendi: nam qui scribit, aut edificat, non semper est in illa actuali reflexione cum operatur.

XXXVI.

Vnde dicunt aliqui non esse necessariam illam reflexionem, & creatum artificem uti exemplari suo cognoscendo illud, non ut est qualitas quadam menti inharens, sed ut est forma & imago repraesentans obiectum artificiatum. Sicut multi censent, verbum mentis esse qualitatem distinctam ab actu cognoscendi, deferuientem cognitioni, ut obiectum proximum, in quo res repraesentata cognoscitur: nam

quod in speculabilibus est verbum, creditur esse exemplar in operabilibus. Et hoc quidem postremum existimo, verum esse in rebus creatis: tamen sicut illa sententia de verbo mentis falsa est, ita etiam in praesenti non est vera illa ratio explicandi cognitionem exemplaris, seu ideae per cognitionem directam rei exemplatae, quod scilicet sit obiectum directam rei exemplatae, in quo aliud cognoscitur, quia neque ille modus repraesentationis obiecti per formalem similitudinem intelligi potest in illa qualitate, quae nec formalem, nec realem convenientiam habet cum externo obiecto, nec etiam intelligi potest, quomodo in illa directe cognoscatur externum obiectum, illa nullo modo cognita. Sed haec communia sunt de verbo mentis illo modo explicato: & ideo illa omitto, & suppono, conceptum formalem immediate terminari ad rem ipsam quam repraesentat, ipsumque non aliter repraesentare, quam referendo intellectum obiectum ipsum, ut intellectualem formam constituentem in actu ultimo ipsum intellectum: & eundem conceptum formalem dici verbum mentis, quatenus est internus terminus intellectualis actionis seu conceptionis eius: exemplar vero dici, quando est de re artificiali seu operabili.

Ad difficultatem ergo positam alij concedunt necessariam esse cognitionem reflexam, per quam artifex respiciens ad exemplar, id est, ad conceptum directum, quem de re formauit, possit talem rem facere, qualem cogitationem concepit. Et ad experientiam respondent, huiusmodi internus actus non semper cadere sub experientiam, saepe enim intellectus comparat unam rem ad aliam, & non aduertit se comparare: & ita etiam potest comparare suammet cognitionem & exemplar, ut per illud mensuret rem, quae ante sit, quamuis non aduertat se uti ea comparatione: si autem aduertat, intelligit se id non facere sine reflexione super suam cognitionem. Et in hi quidem non displicet hoc, si solum intelligamus hanc reflexionem interuenire, quando artifex perfecto modo utitur suo exemplari ad commensurandam & determinandam formam, quam prebere debet illi effectui & hoc plane videtur voluisse D. Thom. supra.

Addendum tamen existimo non toto tempore, quo durat operatio exterior procedens ab arte, necessariam esse illam reflexionem formalem: quod mihi quidem satis probare videtur experientia & ratio, quia ipsa directa repraesentatio, & quasi intuitus mentis circa rem vel operationem faciendam, sufficit ad dirigendam operationem. Tunc ergo non est necesse, ut exemplar cognoscatur tamquam obiectum quod, sed satis est, ut implicite & per modum eidentiae ad obiectum aliquo modo cognoscatur, ea tamen implicite & virtuali reflexione, quam quilibet actus mentis in se includit, ratione cuius dicitur cognosci seipso ut quo, quamuis non cognoscatur ut quod. Et ideo dixi in conclusione exemplar cognosci aliquo modo, eo tamen perfectius applicari ad suum opus, quo perfectius cognoscitur.

Satisfit argumentis prioris sententiae.

Ad argumentum ergo primum prioris sententiae, quod iam responsum est, longe diuersam rationem esse de fine, & de exemplari: nam licet in eo conueniant, quod utrumque causet, ut in cognitione extensibili, tamen in modo causandi habet diuersitatem, ratione cuius, finis esse potest ipsamet res, quae terminat actionem agentis, quia ad se trahit eius affectum: exemplar vero non possit esse illa eadem res, sed alia quae sit mensura & regula eius. Quo fit, ut finis ita sit in cognitione, ut non necessario sit cognitio: exemplar vero per se ac proxime requiritur, ita sit in cognitione, ut intrinsece etiam sit cognitio quadam, seu intellectualis conceptus: nam est intellectualis regula ac mensura.

Ad id.

Ad secundum respondetur, illam locutionem, exemplar esse, ad cuius similitudinem fit effectus, & quod artifex imitatur operando, facile verificari de ipso conceptu formali, quia non sunt illæ locutiones intelligendæ de similitudine formali, quæ naturalis est, seu entitativa: sed de similitudine secundum representationem intellectualem, quam habet conceptus formalis, circa rem quæ exprimit, & hanc imitationem vel conformitatem, intendit artifex in sua operatione. illa verò locutio, quod artifex respiciens ad exemplar, operatur ad illius imitationem, non oportet, ut cum omni proprietate sumatur. Ortus enim videtur ille loquendi modus ex sensibilibus exemplaribus, quibus homines ob imperfectionem suam uti solent, & ad illa respicere ut ad obiecta proxima quæ imitentur. Verumtamen iam dixi huiusmodi exemplaria esse quali per accidens: per se enim exemplar internum sufficit & requiritur ad actionem, & illius imitationem immediate intenditur: & ideo sufficienter posset explicari ratio exemplaris, dicendo, esse illud quo artifex sibi repræsentat rem quam effecturus est, vel illud imitatur, sed potius ut illius representationem expleat. Quia verò, ut diximus, ipsum etiam exemplar potest reflexè cognosci, & illa reflexio confert, ut perfectè & completè exerceat munus exemplaris, ideo propriè etiam verificari potest, quod artifex respiciens ad suum exemplar, operatur.

Tertium argumentum nullam habet difficultatē: nam multitudo idearum in Deo non est secundum rem, sed tantum secundum rationem, per respectus rationis ad diversas res creabiles, & ideo non repugnat, quod illa pluralitas vel distinctio rationis intelligatur in ipso met conceptu formali seu scientia Dei, Qualis autem & quanta sit illa pluralitas idearum, & per quem intellectum fiat illa distinctio, & respectu quarum rerum distinguende sint idæ, plus habet questionis de nomine, quam de re: illa verò qualicumque disputatio Theologorum est, non nostra.

Ad quartum respondetur in primis supponere falsum: quod beati non formant verbū, verè enim concipiunt, Deum prout in se est, & ita formant in se conceptum formalem, quo sibi repræsentant Deū prout in se est: & ille conceptus est verbum, & non aliud. Vnde si in Deo cognoscunt creaturas, etiā formant in se rationem seu verbum earū, & illud habere possent vim exemplaris, si cum illo daretur vis operandi, quæ per tale exemplar dirigi posset. Adde præterea, Beatum videndo Deum & creaturam in Deo, etiam videre ideam quam Deus habet de creaturis, & ideo ipsum met conceptum formalem Dei posse quodammodo subirationem idæ, etiam respectu alterius intellectus, cui per se & immediate obicitur sed illud etiam esset remotè & mediātè: proximum enim exemplar semper est illud, quod ipsum operans in se met intellectu format.

SECTIO II.

Utrum exemplar propriam rationem causam constituat, vel ad aliquam aliarum reuocetur.

Supponit hæc questio exemplar verè ac propriè esse causam: id enim ex cōmuni sententia Philosophorū ac Theologorū ut certum sumimus: in his enim, quæ per intellectum operantur, per se necessarium est exemplar, ut rationabili modo possint actionem suam indefinitā ad effectum dirigere, nam cum à natura sua non sint limitata ad determinatas formas effectibus tribuendas, sicut natura agētia, oportet ut suo proprio & intellectuali modo determinentur. Quamvis autem quoad exercitium suæ actionis determinentur per voluntatem, tamen quoad specificationem & directionem ducuntur per intellectum: ad hoc autem indigent propriis

exemplaribus talium effectuum, ut artificioso & intellectuali modo possint illos efficere. Et quamvis Seneca epist. 66 existimet, hac ratione solum probari exemplar esse quid requisitum: non verò propterea esse inter causas per se numerandum, alioqui multa alia possent similiter per se inter causas recenseri. Nihilominus verius est per se pertinere ad aliquod genus causalitatis, vel aliquem causandi modum, quamvis fortasse non augeat causarum numerum, nec per se constituat novum causandi genus. Vtrumque autem declarabitur commodius, explicando ad quod genus causæ exemplar pertineat.

Exemplar nec materiale, nec finalem causam esse.

ET ut à clarioribus incipiamus, certum est, exemplar nec per se pertinere, nec reduci ad genus causæ materialis, quia nullam habet cum illa causā proportionem aut similitudinem, quia exemplar neque indicat potentiale quid, sed potius actuale formale: neque concurrit aliquo modo recipiendo, sed potius suo modo actuando ac determinando. De causa vero finali posset aliquis dubitare, nam minus exemplaris esse dicitur, ut ad illius similitudinem vel imitationem effectus fiat, sed hæc est habitudo finis, ergo concursus exemplaris non est, nisi concursus quidā finalis. Minorem & discursum totum probo ex Diuo Thoma 3. cont. Gent. cap. 19. ubi hac potissimum ratione probat omnia tendere in Deū, ut in ultimum finem, quia omnia intendunt illi assimilari: ergo cōmutata ratione recte nos colligimus, cum Deus producit res ut ipsi assimilentur, cōcurrere ut finem earum, ac tunc concurrit ut exemplar: ergo. Imo in ratione 2. sic colligit D. Thom. Agens dicitur finis effectus, in quantum effectus tendit in similitudinem agentis: sed Deus ita est finis rerum quod est etiam primum agens earum: ergo omnia intendunt sicut ultimum finem, Deo assimilari: Deus ergo ut est id, cui assimilatur creatura, habet rationem finis: ergo & ut imitabilis à creaturis; nam hæc verba esse imitabilem à creaturis & esse id cui assimilantur creatura, eandem habitudinem significare videntur, sed esse imitabilem dicit habitudinem causæ exemplaris: ergo coincidit cum habitudine causæ finalis. Vnde clarius in ratione 4. ait D. Th. res omnes creatas, esse veluti quasdam imagines primi agentis: perfectionem autem imaginis in hoc consistit quod repræsentet suū exemplar, ideoque omnes creaturas intendere hanc representationem ut finem suum. In quo discursu plane videtur exemplar cum fine confundere.

Sed nihilominus authores omnes longe diuersam esse sententiam causalitatem exemplarem à finali, quia causalitas finis consistit in Metaphorica motione voluntatis: ratio autem exemplaris præcisè consistit in hoc quod sit forma determinans actionem agentis, ut sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 44. a. 3. Difficultas autē proposita procedit, ac si exemplar esset aliqua res cognita, quæ imitanda proponitur, & nō potius ipse met intellectualis conceptus rei. Ut vero omnibus modis respondeamus, admissio illo modo loquendi dicendum est, licet contingat eandem rem esse finem & exemplar eiusdem effectus, ut argumenta facta probant: tamen sub diuersa ratione causalitatis. Nam ut finis, mouet ad efficiendam sui representationem: ut exemplar verò, determinat actionem agentis, & quodammodo dat speciem effectui: vnde rationem finis exercet ut est quoddam bonum: rationem verò exemplaris ut est quædam forma. Addere verò possumus ad hoc magis declarandum, exemplar posse considerari, vel ut terminum quendam ad cuius imitationem tendit actio, vel ut principium dirigens ac regulans actionem agentis. Sub hac posteriori ratione exercet causalitatem exemplaris; nam prior magis pertinet ad rationem finis, quia sub ea ratione est id, cuius gratia actio fit. Cum enim Christi ima-